



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XI. Duæ aliæ sententiæ proponuntur, & refutantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

non conservari, sicque necessariò, & non liberè conservaretur; alioqui si immediatè post posset corrumpi, sequeretur: Primò, non durasse in æternitate, sed in instanti: Secundò, posse assignari primum instans, sive principium in æternitate.

267. Respondeo secundò, admissò eo actu liberè ab æterno productò, & conservato, meritum illud habiturum valorem infinitum quoad durationem, non autem quoad essentiam; sicque ei correspondere præmium infinitum accidentale, sive quoad durationem, quæ est quid accidentale actui; non verò præmium infinitum essentiale, sive quoad essentiam; siquidem duratio etiam infinita meriti actûs v. g. charitatis non mutat ejus essentiam, cum igitur talis actus quoad substantiam sit finitus, & solum infinitus secundùm accidens, ratione scilicet durationis infinitæ, solum augetur ejus valor, & meritum secundùm accidens, sive durationem infinitam. Undè nunquam Angelus per talem actum posset mereri unionem Hypostaticam, aut præmium ali- quod infinitum quoad essentiam.

268. Argues 9. Omissio actûs præcepti liberè continuata non meretur diversam pœnam ab ea, quam merebatur in primo instanti, in quo fuit primò liberè volita; ergo neque actus honestus liberè conservatus merebitur diversum præmium ab eo, quod meruerat in prima sua productione. Respondeo negando antecedens, dato quod omissio talis actûs etiam in sequentibus instantibus sit peccaminosa, sicut actus bonus in sequentibus instantibus, in quibus continuatur, est meritorius: nam si præcipiatur, non solum actus, sed etiam ejus conservatio pro tempore sequenti, tunc tam in primo instanti tenetur homo actum elicere, quàm illum in sequentibus conservare, quod si omittat, peccabit peccato omissionis tam in illo non eliciendo, quàm in non conservando, sicque majorem, & diversam pœnam merebitur in non eliciendo, & non conservando tali actu, quàm in eo tantùm non eliciendo.

269. Instabis: Omissio actûs præcepti non meretur pœnam juxta intensiõnem, quam deberet habere actus præceptus omissus, ira ut si hic deberet esse intensus ut quatuor, omissio illius mereatur pœnam correspondentè intensiõni ipsius actûs omissi; ergo neque merebitur pœnam juxta durationem, quam ipse actus deberet habere. Respondeo juxta proximè dicta negando antecedens, dato, quod actus esset præceptus sub certa intensiõne, sicut diximus de illo in casu, quo ejus duratio præcipere- tur; tunc enim ejus omissioni deberet correspondere pœna respectivè ad intensiõnem ipsius actûs omissi, sicut diximus de omissione durationis præceptæ.

270. Undè fit, quod si actus solum præcipitur quoad substantiam, correspondet ejus omissioni sola pœna respectivè ad substantiam actûs omissam absque ulla intensiõne. Si tamen actus non potest elici absque aliqua intensiõne, saltem minima, hac eadem cadit sub illius præcepto, ejusque omissioni debet correspondere pœna respectiva ad illam minimam intensiõnem; siquidem eodem præcepto, quo præcipitur substantia actûs, præcipitur etiam ipsa minima intensiõ, sine qua non potest elici; sicut etiam præcipitur ejus minima duratio, infra quam non potest existere. Si verò præcipiatur actus sub aliqua intensiõne, aut duratiõne indeterminata, correspondebit pœna omissionis intensiõni, aut duratiõni minimæ actûs omissi; siquidem saltem illa minima intensiõ, aut duratio erat præcepta cum ipso actu, quando ipse actus

primò fuit præceptus.

Argues 10. Si continuatio actûs auget ejus meritum, sicut & demeritum, sequitur, quod perseverantia actûs mali debeat in confessione aperiari; sed hoc non videtur admittendum; esset enim aperire viam innumeris scrupulis; ergo &c. Respondeo de circumstantiis notabiliter aggravantibus intra eandem speciem in confessione aperiendis duplicem dari sententiam: Prima negat esse necessariò aperiendas, & juxta hanc continuatio actûs non est necessariò aperienda in confessione; siquidem non est circumstantia mutans speciem, quæ sola debet in confessione aperiari, sed tantùm aggravans intra eandem speciem. Secunda affirmat esse necessariò aperiendas, & in hac aperiari debet in confessione continuatio actûs, neque in hoc aperiari via scrupulis, cum sufficiat dicere: perseveravi liberè in odio inimici per unum quadrantem, aut mediam horam plus minùsvè. De hoc tamen alibi.

SECTIO XI.

Dua alia sententia proponuntur, & refutantur.

SECUNDA sententia asserit, durationem, & continuationem actûs augere ejus meritum, ita tamen, ut cuilibet instanti durationis, & conservationis actûs correspondeat novum omninò meritum; consequenterque præmium æquale primo suæ primæ productionis, & ab illo distinctum. Ita aliqui Recentiores, pro quibus:

272. Objicies 1. Idem actus meritorius conservatus per integram horam æquipollet moraliter pluribus actibus ejusdem rationis, quos homo spatio talis horæ poterat elicere; atqui si illos eliceret, per repetitionem cujuslibet actûs mereretur tantum, quantum per actum primò productum; ergo etiam tantum merebitur in quolibet instanti continuationis ejusdem actûs, quantum in prima ejus productione. Respondeo eundem actum continuatum æquipollere moraliter, & in genere moris pluribus actibus ejusdem rationis quoad aliquod præmium promerendum; non tamen quoad omne, & æquale præmium. Et ratio est, quia moraliter plus obsequii exhibetur Deo per actum primò productum, quàm per ejus continuationem; siquidem per primam productionem exhibetur substantia operis, per solam verò continuationem exhibetur sola operis circumstantia, quæ non est tanti valoris, ac proindè non tanti meriti: at verò in repetitione actuum, cum hi sint quoad substantiam diversi, licet ejusdem rationis, exhibentur Deo plura obsequia æqualia primo actui, sicque æquale meritum in omnibus illis esset, cui etiam æquale præmium responderet.

273. Objicies 2. Si homo volens elicere novum actum similem primo jam elicitò, determinaretur à Deo ad eliciendum eundem numero, quem primò elicit (quod de potentia absoluta fieri non repugnat) absque dubio per hujusmodi actum sic iterum productum mereretur homo tantum, quantum meruit per illum primò productum; & tamen in eo casu esset idem omninò actus quasi continuatus; ergo eodem modo merebitur continuando tantummodò illum absque illa nova productione. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia in facta suppositione actus ille æquipolleret moraliter duobus, etiam quoad substantiam; sicut

æquipolleret eadem res à Deo reproducta: quod autem homo tunc non produceret diversum actum quoad substantiam, parùm obstat in ordine ad meritum; siquidem non stetit per illum, sed per Deum. qui illum ad eundem numero actum, & non ad diversum determinavit, cujus erat eum determinare quoad individuum; sicque non deberet homo privari suo merito, & præmio, cum fecerit quantum in se erat ad præstandum Deo diversum obsequium: at verò in continuatione ejusdem actus dat ex se unum, & omninò idem obsequium, sicque solum meretur aliquid amplius ratione continuationis.

275. *Objicies 3.* In genere moris tantum valet hoc numero individuum, quam illud ei omninò æquale, nempe dare hunc numero aureum, quam illum: habere hanc numero Visionem Beatam, quam illam omninò æqualem: hanc numero Unionem Hypostaticam, quam illam, sicque de aliis: idèdè; non minùs beatus est D. Petrus conservando per totam æternitatem hanc numero Visionem Beatam, quam modò habet, quam si pro singulis instantibus, illà omisà, aliam, & aliam de novo successivè acciperet: neque Christus Dominus est minùs perfectus conservando semper hanc numero Unionem Hypostaticam, quam habet, quam si, illà omisà, aliam, & aliam successivè acciperet; atqui si homo pro singulis instantibus post primum actum productum, alios produceret æquè bonos, & omninò æquales primo actui in primo instanti producto, per singulos acciperet æquale præmium illi primo; ergo etiam sic merebitur per eundem actum in omnibus illis instantibus continuatum.

276. *Respondeo* ad majorem, idem valere eadem individua secundum se, non tamen in ordine ad meritum, si unum sit jam oblatum, & non ita alias alioqui dicamus, tantam pauperis gratitudinem, mereri hominem, qui ei iterum tribuit illum aureum, quem jam tribuerat, atque si alium diversum de novo tribueret: & Deum æquè præmiare actum bonum de novo oblatum dando iterum eandem gratiam jam antea infusam, ac si aliam de novo diversam infunderet, sicque de aliis exemplis, quæ ipsi Adversarii non admittent: cum vero ille primus actus fuisset jam in primo instanti quoad substantiam, & bonitatem moralem oblatum, & à Deo certo, & determinato præmio compensatus, solumque de novo ejus duratio offeratur, idèdè non potest tantum præmium mereri, quantum alii, qui de novo eliciuntur, & adhuc quoad substantiam, & bonitatem moralem, non sunt oblati, sed solum meretur præmium correspondens ipsius durationi, ex quibus facilè solvuntur in argumento adducta.

277. *Objicies 4.* Si homo per continuationem actus non mereretur novum, & æquale præmium, atque meretur per primam productionem ipsius actus, sequeretur, melius ei esse actum amoris Dei interrumpere in una hora quater, aut quinquies, quam in eo perseverare; siquidem in ipsa interruptione potest elicere quatuor, aut quinque alios actus amoris Dei ejusdem intensiois, per quorum quemlibet tantum mereatur, quantum meruit per illum primum in primo instanti productum, cum tamen in ipsius primi continuatione non ita tantum mereatur; atqui sequela est falsa; siquidem non potest Deo magis placere amoris interruptio, quam ejus continuatio, cum interruptio sit boni operis carentia, quæ potius minuit, quam auget meritum; continuatio verò sit nova operis oblatio, saltem virtualis, quæ meritum auget; ergo &c.

278. *Respondeo* ad majorem, respectu ejusdem actus formaliter melius esse illum continuare, quam in-

terrumperere: respectu autem diversorum actuum occasionaliter (suppono enim, quod simul cum illo non possint elici,) melius esse eum interrumpere, ut alii eliciantur; siquidem eliciendo alios, offert voluntas novos conatus, novas libertates, novas difficultates, ac novas actuum substantias: at verò eundem continuando solum offert novam ejus durationem, in qua illa non invenitur; neque enim tam difficile est actum semel productum continuare, quam, eo omisso, alium, & alium de novo elicere, nam in hoc datur periculum non eliciendi illos, quod in continuatione non datur. Et si in continuatione datur etiam periculum interrompendi ipsum actum, & ob illud ejus continuatio manet magis meritoria, à fortiori magis mereri debet, factà interruptione, per actum de novo elicitum.

Confirmatur, quia majus obsequium offero Petro v. g. diversa munera ei offerendo, quam ejusdem muneris iterum, atque iterum oblationem repetendo; siquidem in hoc solum offero novam voluntatem, in illis autem offero & novas voluntates, & nova munera; ergo similiter in oblatione ejusdem actus semel atque iterum Deo facta, & in oblationibus diversorum actuum eidem Deo factis.

Inflabis: Si melius esset, non solum moraliter, sed etiam naturaliter, repetere actum, quam illum sine interruptione conservare, sequeretur: Primum, quod melius esset Beato interrumpere Visionem, & amorem Dei, aliumque, & alium producere, quam eundem sine interruptione conservare. Secundò, quod pejus esset odium Dei interrumpere, quam illud conservare; sequelæ autem sunt falsæ; ergo &c. *Respondeo* negando primam sequelam; siquidem in amittenda visione, aut amore Dei, admitteretur mutabilitas in Beato; hæc autem in illo statu, & in illis formis magnam arguit imperfectionem, cum talis status maxime accedat ad Deum, in quo, neque virtualis mutabilitas, & quoad nos, neque ulla vicissitudinis obumbratio admittitur: at verò si sit in viatoribus, in quibus datur ipsa mutabilitas, cum eorum status has imperfectiones admittat, tunc fatendum est, melius esse interrumpere amorem Dei, ut alius, & alius de novo producat, quam eundem semper conservare ob rationes adductas.

Ad secundam dicimus, pejus esse odium Dei interrumpere, ut iterum, atque iterum per novos actus repetatur, quam illud continuare, nisi ipsa continuatio sit ita maxima, ut vel omnes eos actus superet in malitià: adhuc tamen per accidens potest esse deterius in eo odio permanere, quatenus scilicet permissio ipsius odii arguit magnam ejus intensioem; siquidem odium, si remissum est, facile omittitur.

Objicies 5. Si immediatè post instans productionis actus boni augetur ejus bonitas, & meritum, debet augeri non per solum indivisibile superadditum; siquidem cum jam meritum illud in primo instanti productum, & terminatum sit indivisibile, adderetur indivisibile indivisibili sine parte intermedia, & cum indivisibile additum indivisibili non faciat majus, prout alibi diximus, ex illo indivisibili superaddito non augetur meritum, ut intendimus: non per solam partem proportionalem, ac incertam; siquidem per partem superadditam debet mereri aliquod præmium, quod Deus scit, & possit postea tribuere; pars verò proportionatis non est à Deo cognoscibilis, aut producibilis determinatè, ac pròindè neque remunerabilis præmio determinatè; ergo debet superaddi aliqua pars certa,

certa ac determinata; sed hoc dato, sequitur non evitari meritum infinitum; siquidem cum in eo tempore durationis actus meritorii percurrant infinitas partes incertæ, si in qualibet augetur certum, & determinatum meritum, in fine unius horæ v. g. augmentum talis meriti constabit infinitis partibus certis, ac determinatis, eritque infinitum; ergo &c.

283. Respondeo negando secundam partem majoris juxta ea, quæ jam supra diximus à num. 260. additur enim pars durationi, & tempori proportionata, & cum durationis, & temporis pars sit proportionalis tantum, & adhuc à Deo cognoscibilis, & producibilis, omnesque in fine ipsius temporis aliquid finitum constituent, ita etiam finitum erit illud meritum, consequenterque præmium ei correspondens, semper tamen ipsum meritum durationi correspondens erit minus, atque fuit in prima productione instantaneâ ipsius actus, nisi hic tantum daret, ut ipsa duratio ejus intensiorem superet.

284. Tertia sententia affirmat, durationem, & continuationem actus augere ejus meritum, ita tamen, ut cuilibet durationi liberæ ipsius actus respondeat meritum, & præmium omnino æquale primæ productioni ipsius actus, prout asserbat præcedens sententia, hæc tamen addit, aliquam durationem, & continuationem actus esse necessariam, & non liberam, sicque in illa nullum dari meritum neque demeritum. Unde hæc sententia tenet, meritum (idemque de demerito, prout alibi dicemus,) non augeri per durationem continuè pro singulari instantibus, & partibus temporis incertis, ut hæcenus diximus, sed tantum discretè, aliquibus interjectis morulis, in quibus ipse actus, sive bonus, sive malus necessariò durat, ita ut ejus meritum, aut demeritum incipiat à primo instanti productionis usque ad aliud instans, in quo prima morula desinit, & ab hoc instanti augetur usque ad aliud instans, in quo alia secunda morula finitur, sicque de aliis; cum autem hæc morulæ in quolibet tempore finito finiantur, finitum etiam est, inquit, augmentum meriti, aut demeriti actus pro toto illo tempore durantis. Ita P. Arriaga tom. 3. d. 6. sect. 5. ubi dicit se concordare cum Nominalibus. P. Vasq. P. Egid. & P. Granad. tenet etiam d. 42. sect. 2. num. 18.

285. Has morulas P. Arriaga jam satis rejecimus in *Physic. tract. 4. d. 2. à num. 2. & sæpe alibi*, & nunc in præsentia materia iterum rejecimus; siquidem supra dicta necessitas, in qua sententia P. Arriaga fundatur, nullum habet fundamentum; nam sicut Deus ob suam innatam libertatem potest rem producere, & non conservare, sed statim actionem suam suspendere; ita etiam voluntas creata ob suam innatam libertatem potest actum producere, & non conservare, sed statim suspendere, & ab illo cessare: quod sic:

286. Probatur primò, quia immediatè post instans, in quo voluntas producit suum actum, nulla datur causa eam necessitans ad ipsius conservationem; nam si daretur, aut esset extrinseca, nempe Deus, cum alia non appareat; aut intrinseca, nempe ipsa voluntas, aut intellectus: Non primum; siquidem Deus eodem modo, & concursu concurrat ad conservationem actus, atque ad primam ejus productionem; alioqui non naturaliter, sed miraculose operaretur, quod absque necessitate non est affirmandum; sed Deus non abstulit voluntati suam libertatem in prima productione actus; ergo neque in ejus conservatione.

Non secundum, quia voluntas non est magis domina suorum actuum in primâ productione, quam in eorum conservatione; neque enim præstando influxum abstulit à se libertatem ad eum suspendendum; sed à principio ita liberè produxit, ut potuerit non producere; ergo etiam ita liberè conservat, ut possit non conservare. Non tertium, quia intellectus eadem advertentiâ proponit objectum in conservatione, atque in prima productione actus proposuit; sed per illam non necessitavit voluntatem in ipsa productione; ergo neque in conservatione eam necessitabit. Confirmatur, quia Christus Dominus, Virgo Sanctissima, & Angeli summâ advertentiâ, & consideratione operabantur suos actus bonos, sive inchoando, sive conservando illos; & tamen liberè, sive in productione, sive in conservatione; ergo &c.

Probatur secundò, quia si actus bonus pro aliquo tempore duraret necessariò, etiam sic necessariò duraret pro aliquo tempore actus malus; sed hoc non est dicendum; alioqui non posset viator pro illo tempore abstinere à peccato, neque de peccato dolere, essetque in statu incapaci penitentia, ac proinde extra statum salutis, in quo si periret, damneretur; talis autem status à Sanctis Patribus non admittitur; ergo &c.

Dicent, eos non admittere statum illum pro aliquo tempore certo, & determinato; siquidem fatentur, nullum tempus, aut instans assignari posse, in quo homo non possit de peccato dolere, aut de novo peccare: illum tamen admittere pro tempore incerto, & indeterminato, quod fuit immediatè post instans; hoc enim licet respectu Dei, & Angeli sit notabile, respectu tamen hominis est adeò moraliter exiguum, ut debeat per modum unius instantis reputari; sicque nullum est inconveniens concedere, non posse hominem in eo tempore quasi instantaneo de suo peccato dolere. Confirmant hoc idem ex P. Soar. tom. 3. de Grat. lib. 12. cap. 25. num. 7. ex quo dicunt, cum ibi admittere, impossibile omnino esse humano modo, quod actus habeat unicum tantum instans suæ durationis; ergo si id impossibile est humano modo, cum id, quod ita impossibile est, tollat libertatem, non habebit voluntas libertatem ad ipsum actum non conservandum post tale instans.

Sed contra, quia Concilia, & Sancti Patres absolute loquuntur de omni tempore, quatenus dicunt in omni (excepto solo instanti, in quo peccat,) posse peccatorem ad Deum converti, & de suo peccato penitentiam agere; ergo etiam de tempore incerto, & indeterminato intelligèdi sunt. Neque bene arguunt ex P. Soar. ad suam doctrinam; siquidem res potest esse impossibilis humano modo, & tamen esse libera; sic enim erant actus boni Christi Domini; & sunt de facto omnia peccata venialia; imò & mortale in gravi tentatione, attentis solis auxiliis ordinariis, & tamen tam hæc, quam illi liberè producebantur. Pro hac tamen sententia:

Oppones I. Non augetur bonitas actus, consequenterque ejus meritum, nisi per ejus conservationem liberam; sed conservatio actus in illa morula non est libera; ergo neque meritoria; consequenterque talis conservatio non auget prout sic meritum ipsius actus. Prob. minor primò, quia experientia docet, omnem actum aliquo tempore durare; hoc autem non ita esset, si duratio in omni illo esset libera; tunc enim cum posset non esse, posset non durare. Secundò, quia in tam brevi morula non potest operans scienter advertere ad liberam actus

conser-

conservationem; sic autem debet advertere, ut possit ab illo liberè cessare. Tertiò, quia productò actu, non potest homo ab eo liberè cessare, nisi de hoc deliberet; ut autem deliberet requiritur tēpus. Quartò, quia actus ille, sicut quilibet alia res suæ corruptioni resistit; ubi autem datur resistentia, requiritur tempus; ergo conservatio actus in illa morula non est libera; ac proindè non auget meritum.

292. Respondeo negando minorem, & primam ejus probationem; neque enim admittimus talem experientiam, quæ si in aliquibus admittatur, id proveniet, non ex necessitate absoluta, sed ex magna eorum propensione ad conservandum talem actum ortâ quidem, aut à propensione voluntatis ad illum; aut ab ipsius actus inclinatione ad sui conservationem, propter quas non sit homini facile ipsum actum statim interrompere. Ad secundam probationem dicimus, posse intellectum pro tota illa morula, & singulis ejus instantibus, conservare eandem advertentiam, quam habuit in primo instanti productionis actus, & eam sufficere, ut voluntas illum liberè conservet, aut desistat, saltem pro quolibet instanti illius morulæ, sicut antea satis fuit ad illum primò liberè producendum.

293. Ad tertiam probationem dicimus, deliberationem fieri posse, aut saltem consummari in instanti, & in eo continuari, sicque intra quodcumque tempus fuerit tale instans, poterit actus suspendi ob libertatem ex illa deliberatione ortam; ac proindè nullus necessariò continuatur. Accedit, quod deliberatio sufficiens ad actum liberè inchoandum, sufficere etiam ad illum continuandum, aut suspendendum; sed ad illum primò inchoandum non requiritur deliberatio reflexa de ejus inchoatione; ergo neque ita requiretur ad illum continuandum, aut suspendendum talis deliberatio reflexa de ejus continuatione, aut suspensione.

294. Ad quartam probationem dicimus, actus vitales non resistere propriè suæ corruptioni, sed improprie, & hanc improprie resistentiam non retardare talem corruptionem, cum totus actus possit simul desinere, aut ex vi actus contrarii, qui in instanti elici potest; aut ex defectu concursus Dei; aut ex defectu causæ conservantis; nam si immediatè post actus productionem cesset intellectio, statim cessabit etiam volitio: sicut in instanti cessabit visio, si in instanti ponatur obstaculum inter oculum, & objectum.

295. Oppones 2. Actus voluntatis sunt res permanentes, & indivisibiles, quæ totum suum esse habent simul; sed omnis res permanens, & indivisibilis necessariò durat per aliquod tempus, & non solo instanti; ergo &c. Respondeo negando minorem prout supra diximus n. 257. licet enim plures ex aliis rebus permanentibus naturaliter nequeant simul incipere, & desinere intrinsecè, eo quod earum corruptio prævium morum localem, vel alterationem postulet; hoc tamen non fit in omnibus, præsertim in actibus voluntatis, qui nihil horum postulant, & liberè producuntur, & conservantur.

296. Instabis: Inter ultimum esse rei, & primum ejus non esse, necessariò intercedit aliquod tempus; alioqui contra Philosophum, & contra id, quod alibi diximus, unum instans succederet immediatè post aliud, ac proindè tempus solis indivisibilibus componeretur; sed nulla res permanens potest desinere per ultimum sui esse; liquidem omnes necessariò desinunt per primum non esse; alioqui si desinerent per ultimum sui esse, ipsum non esse rei

inciperet per ultimum non esse, sicque successive in tempore, quod repugnat; nam non esse rei indivisibilis, cum sit totum simul, non potest incipere successive in tempore, sed necessariò debet incipere in instanti, quod sit primum non esse rei; ergo omnes necessariò durant eo tempore, quod mediat inter illa duo instantia; consequenterque in primo instanti suæ durationis nullum habent determinatum meritum, sed certus correspondet gradus illi toti earum durationi, & singulis ipsius durationis partibus singulæ partes; instantibus verò, tam primo, quam cæteris, aut nihil meriti determinatè, aut saltem nulla pars divisibilis correspondet, ex quo fit, ut ex tali duratione per illa infinita instantia non insurgat meritum infinitum.

Respondeo negando minorem: Primò, quia ipsamet instantia sunt indivisibilia; & tamen singula uno tantum momento durant, desinuntque per ultimum sui esse, ut supra diximus. Secundò, quia generatio substantialis, quæ in parte determinatâ materiæ fit in instanti, pro solo illo durat, nam immediatè post succedit nova actio conservativa à solo Deo producta, cum prima à Deo simul, & creaturâ fuerit producta, sicque desinit per ultimum sui esse. Tertiò, quia nulla datur repugnantia in eo, quod creatio Angeli, quæ fit in instanti, immediatè post desinat, suspendente Deo suum concursum; & tamen pro solo uno instanti durabit, desinetque per ultimum sui esse, cum sit res permanens, sicque de aliis. Undè:

Ad probationem minoris dicimus, non repugnare rei permanenti desinere per ultimum sui esse, ut patet in exemplis adductis, nam illudmet instans, quod in generatione est primum ejus esse, est etiam ultimum ejus esse; liquidem immediatè post illud non est, sicque in aliis exemplis; sicque non esse talis generationis incipit in tempore immediatè post instans ipsius generationis, consequenterque secundum coexistentiam ad nostrum tempus extrinsecè per ultimum sui non esse, (si ita dici potest,) nam cum duæ negationes affirmant, tale ultimum non esse melius dicitur ultimum esse generationis. Et idem esset, si Deus rem aliquam conservaret usque ad aliquod instans intrinsecum sui esse, & eam immediatè post non conservaret; tunc enim inciperet non esse talis rei post ultimum ejus instans, consequenterque in tempore correspondendo secundum se totum toti tempori, & etiam secundum se totum cuilibet parti ipsius temporis.

Oppones 3. Actus incipiens per ultimum sui non esse, necessariò durat aliquo tempore, saltem incerto; ergo idem erit de actu incipiente per primum sui esse; consequenterque in tali tempore non augebitur ejus meritum. Respondeo negando consequentiam; diversitas est, quia repugnat, quod aliquid fiat in tempore, & in aliquo non duret; non tamen repugnat, quod productum in instanti, in illo tantum duret, & non in tempore; implicaret autem, quod in ipso instanti produceretur, & non duraret in illo.

Oppones 4. Idem actus non duraret necessariò in illa morula, quia homo in ea non posset augere, neque bonitatem, neque malitiam actus, ac proindè neque mereri, neque demereri; sed potest, nempe propter meritum, aut demeritum primi instantis, in quo, tanquam in causa, continuatio illa libera est, & talis denominatur, consequenterque meritoria, aut demeritoria; ergo &c. Respondeo ex argumento solum probari, actum mereri, aut demereri denominativè tantum, & non formaliter; meritum autem, aut demeritum denominativum nihil

Utrum meritum augeatur ex majori dignitate personæ operantis?

nihil addit merito, aut demerito formali primi instantis: sicut actus externi, & interni imperati pro eodem instanti, quo imperantur, nihil addunt meriti, aut demeriti actibus imperantibus internis: at verò communiter dicitur, durationem addere actui bonitatem, & malitiam, ac proinde meritum, vel demeritum formaliter.

301. Oppones 5. Nulla apparet manifesta contradictio in eo, quod divinitus admittatur possibilis una voluntas, quæ semel productio actu, teneatur illum conservare, saltem ad breve tempus: tum quia ita potest postulare ejus natura, nempe producere actum liberè, & illum per aliquod tempus necessariò conservare; sic enim Deus liberè voluit mundum creare, & postea ipsa volitione de mundo creando, necessariò illum conservat per totam æternitatem: tum etiam, quia id etiam potest exigere natura ipsiusmet actus producti, nempe liberè produci, & necessariò per aliquod tempus durare; sic enim Angelus semel à Deo liberè creatus, postulat connaturaliter non annihilari; sed hujus generis est nostra voluntas; siquidem experientia constat, non posse nos in actu oculi, in quo dantur instantia, & partes temporis, unum actum producere, & illum suspendere, aliumque de novo producere; ergo in aliqua morula necessariò actum conservat.

302. Respondeo primò admittendo cum P. Arriaga tom. 3. d. 6. n. 24. cujus est hoc argumentum, possibilitatem illius potentia, quam ipse de facto admittit, dum id, quod suo argumento intendit, nostræ voluntati concedit, negando tamen talem esse de facto nostram voluntatem; siquidem hæc non est magis domina sui actus in prima ejus productione, quam in quolibet instanti determinato conservationis illius; ergo sicut liberè eum producit, liberè etiam illum conservat. Neque obstat, quod aliquando experiatur difficultatem in cessando ab actu, & illum iterum repetendo in aliqua brevi morula, nempe in actu oculi, ut ait P. Arriaga; hoc enim non idè est, quia voluntas ex se, & natura sua sit necessitata ad illum conservandum, sed provenit, aut ex nimia immersione in materia, aut ex magna propensione ad aliqua objecta, aut ex sensibus, & appetitu materiali, aut ex frequentibus tentationibus, & impedimentis extrinsecis, quæ omnia cum non sint in omnibus æqualia, non omnes eandem sentiunt difficultatem, sed aliqui sunt magis, aliqui minus faciles in repetendis actibus sive bonis, sive malis.

303. Respondeo secundò arguendo contra ipsum P. Arriagam: Primò, quia etiam ipse eadem d. 6. n. 21, admittit possibilem esse voluntatem, quæ in quolibet instanti possit liberè cessare ab actu producti; cur igitur non dicemus hujus generis esse nostram hanc voluntatem, quæ de facto datur? Et si contra nos stat experientia, ut ipse dicit, etiam contra illam stat Aristoteles lib. 3. Ethicor. cap. 5. ubi dicit, nos esse dominos nostrorum actuum à principio usque ad finem. Imò etiam stant Scripturæ, Concilia, & Sancti Patres, qui idem absolutè affirmant. Secundò, quia hoc modo valdè minuitur libertas nostræ voluntatis. Tertiò, quia cum in qualibet morula, etiam brevi, v. g. in actu oculi, sint aliquæ partes temporis certæ, & determinatæ, sequeretur, esse aliquid temporis determinatum, in quo homo, si peccet, necessariò perseveret in peccato, nec possit de illo dolere, ut supra jam diximus, quod est contra Concilia, & Sanctos Patres contrarium asserentes.

304. Hæc difficultas, quæ quidem gravissima est, & à Doctores pro utraque parte acerrimè discussa, sub aliis terminis excitatur: An scilicet ex majori gratia habituali residente in operante, cæteris paribus, augeatur ejus meritum in ordine ad gratiam, & gloriam promerendam? Aut: utrum si duo justii afficiantur gratiæ inæqualiter intensæ, & eliciant actus ejusdem omninò perfectionis, & intensiōis, ille, qui est magis gratus, sive habet majorem gratiam, ex eo solùm, quod actus eliciatur ab homine magis grato, seu majorem gratiam habitualem habente, sit magis meritorius augmenti gratiæ, & gloriæ?

305. Affirmativam sententiam, quam sequimur, tenent D. Thom. in 2. dist. 29. art. 4. & 1. p. q. 95. art. 4. & quodlib. 6. art. 11. & 1. Cor. 3. lect. 2. Caiet. 3. p. q. 1. art. 2. §. Ad 3. Gabr. in 2. dist. 29. q. unica art. 1. notab. 3. & art. 2. conclus. 4. P. Henric. de Fine hominis, cap. 20. n. 1. referens Almain. Cordub. Victor. Mantium. Pennam. & alios. P. Salmer. tom. 7. tract. 33. P. Valent. tom. 2. d. 8. q. 6. punct. 3. P. Soar. tom. 1. in 3. part. d. 4. sect. 4. §. Ad primum, & tom. 3. de grat. lib. 12. cap. 22. P. Sal. tom. 2. in 1. tract. 13. d. 5. sect. 17. P. Albertin. 1. princip. philos. dub. 3. n. 4. P. Granad. tom. 2. contr. 8. tract. 11. d. 2. sect. 2. P. Agid. 2. d. 22. n. 57. P. Tanner. 1. 2. d. 6. q. 6. n. 120. P. Ragusa tom. 1. in 3. p. d. 7. P. Lugo in 3. p. d. 6. sect. 2. P. Merat. de Incarn. d. 14. sect. 2. P. Hurt. tom. 1. in 3. p. d. 11. num. 54. quos citat, & sequitur P. Ripal. tom. 2. d. 81. num. 1. P. Amicus tom. 3. d. 35. n. 166. P. Ovied. tract. 9. contr. 5. à n. 22. & alii.

306. Advertes tamen prædictos Doctores in aliquibus dissentire: Alii enim negant, hujusmodi augmentum fieri per omnes gradus sanctitatis personæ, sed solùm per eos, qui per se concurrunt ad opus juxta ipsius intensiōem, itaut actus ut quatuor elicitus à justo ut octo sit magis meritorius, quàm est idem actus elicitus à justo ut duo, non verò quàm elicitus à justo ut quatuor; siquidem in homine justo ut octo non dant valorem omnes octo gradus gratiæ, sed solùm quatuor, qui per se concurrunt ad opus. Alii tribuunt virtutem hanc augendi meritum omnibus sanctitatis gradibus, itaut actus intensus ut quatuor sit magis meritorius elicitus à justo ut octo, quàm elicitus à justo ut quatuor.

307. Alii dicunt, tantam esse quantitatem gratiæ, & gloriæ correspondentem merito ex dignitate gratiæ, quanta est gratia antecedens in operante, ita ut gratia intensæ ut quatuor, cæteris paribus, augeat meritum ad promerendam gratiam, & gloriam intensam ut quatuor. Alii, licet affirmant, excessum gratiæ inducere excessum meriti, & præmii, negant tamen hujusmodi excessum esse omninò æqualem arithmeticè excessui gratiæ, sed solùm geometricè. Quidquid tamen sit de istorum Doctorum sensu, omnes quidem sentiunt, & nos cum illis ex majori gratia habituali personæ operantis augeri ejus meritum, cæteris paribus, majoremque gratiam, & gloriam promereri: quod ita:

308. Probatum primò autoritate Scripturæ, quæ pluribus in locis significat, opera ex majori sanctitate personæ operantis magis Deo placere, & esse efficaciora ad impetrandum, ut patet Daniel. 3. Propter Abraham